EX GALENO.

C Portulaca frigida & aquea temperamento eſt, paucæ cuiuſdam auſteritatis particeps. Proinde fluxiones reprimit, maximè bilioſas & calidas, cum eo quod eas mutet, & in qualitate alteret, magnopere refrigerans. Hac ratione & æſtuantes, ut ſi quid aliud, adiuuat, tum uentris oſculo impoſita, tum totis hypochondrijs, potiſſimum in hecticis febribus. Præterea dentium ſtuporem ſanat, nempe quæ ab acidorum contactu aſperè exiccata fuerant, leniens atq; replens, utpote cum uiſcoſam habeat humiditatem. Similiter uero & ſuccus eius. Itaq; non foris modò impoſitus, ſed epotus quoq; refrigerat. Hoc ſanè & toti herbæ comeſæ accidit. Quoniam autem adſtringit, utiliter dyſentericis editur, & in muliebri profluuio, & ſanguinis reiectionibus. Sed ad hæc multò quidem efficacior eſt herbæ ſuccus.

EX PLINIO.

Portulacæ memorabiles uſus traduntur. Sagittarum uenena, & ſerpentium hæmorrhoidum & preſterum reſtringit, pro cibo ſumpta, & plagis impoſita extrahit. Item hyoſcyamo poto, è paſſoq; expreſſo ſucco. Cum ipſa non eſt, ſemen eius ſimili effectu prodeſt. Reſiſtit & aquarum uitijs, capitis dolori, ulceribusq; in uino tuſa & impoſita. Reliqua ulcera cum melle cõmanducata ſanat. Sic & infantiũ cerebro imponitur, umbilicoq; prociduo. In epiphoris uero omniũ, fronte temporibusq; cum polenta. Sed ipſis oculis, è lacte & melle. Eadem, ſi procident, prodeſt, folijs tritis cum corticibus fabæ. Puſtulis cum polenta & ſale, & aceto ac cera. Et ulcera oris, tumoremq; gingiuarum cõmanducata cruda ſedat. Item dentium dolores. Tonſillarum ulcera ſuccus decoctæ. Mobiles dentes ſtabilit cõmanducata. Cruditates ſedat, uocemq; firmat, & ſitim arcet. Ceruicis dolores cum Galla & Lini ſemine pari menſura ſedat. Mammarũ uitia cum melle aut cimolia creta. Salutaris & ſuſpirioſis, ſemine cum melle hauſto. Stomachũ in acetarijs ſumpta corroborat. Ardentib.
D febribus imponitur cum polenta. Et aliàs manducata refrigerat etiam inteſtina. Vomitiones ſiſtit. Dyſenterię & uomicis datur ex aceto, uel bibitur cum Cumino. Tenaſmis autem cocta, & comitialibus cibo uel potu prodeſt. Purgationibus mulierum, acetabuli menſura in ſapa. Podagris calidis, cum ſale illita, & ſacro igni. Succus eius potus renes iuuat & ueſicas. Ventris animalia pellit. Ad uulnerum dolores, ex oleo cum polenta imponitur. Neruorũ duritias emollit. Venerem inhibet, Veneriſq; ſomnia. Prętorij uiri pater eſt, Hiſpaniæ princeps, quem ſcio propter impatibiles uuæ morbos, radicem eius filo ſuſpenſam è collo gerere, præterquam in balneis, & ita liberatum incõmodo omni. Quinetiam inueni apud autores, caput inde litum deſtillationem toto anno non ſentire. Oculos tamen hebetare putatur.

DE ASPHODELO. CAP. XL.

NOMINA.

Affodillus. ΑΣΦΟΔΕΛΟΣ Græcis, Aſphodelus Latinis, Officinis corrupta uoce Affodillus, Germanis Goldwurtz nominatur.

GENERA.

Duo Aſphodeli genera. Duo eſſe Aſphodeli genera, utcunq; uno contentus ſit Dioſcorides, teſtatur Plinius libro xxi. cap. xvij. marem nimirum & fœminam. Mas propriè Al-
Albucus. bucus nominatur, fœmina uerò Haſtula regia, quod ſcilicet dum floret prorſus regij ſceptri effigiẽ referat, Germanicè Goldwurtz. Marem depingit Dioſcorides, & radicem eius acrem atqueadeo cibo inutilem eſſe tradit. Fœminæ Theophraſtus li-
Heſiodus fœminæ mentionẽ feciſſe uidetur. bro vij. de hiſtoria plantarum cap. xij. & Heſiodus mentionem facere uidentur, quandoquidem eius uſum in cibo quotidianum fuiſſe ſcribant. Hoc enim de mare dici haud poſſe, radicis mirifica acrimonia facit. Galenus etiam libro ſecundo de ali-